



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Semper Gavdendi

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per
Adventuales Conciones

Sarasa, Alfonsus Antonius de

Antverpiae, 1664

Prooemivm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13517

TRACTATUS XVI.

Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete: & pax Dei quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras in Christo Iesu Domino nostro. *ad Philip. 4.*

Synopsis omnium præcedentium Tractatum seu demonstratiua deductio, & connexio totius argumenti.

P R O O E M I V M.



Inis hic demum fuit, & scopus, ad quem totus hic ratiocinationum decursus collimauit, Gaudium ab Apostolo tam magnificè commendatum vobis ob oculos ponere, artemque exponere, quâ certò, facili tamen illud negotio consequamur. Non enim totam diuinæ Prouidentię seriem vobis clarè & fusè explicare, fuit animus: illud tantum attingendum arbitrabar, quod videbatur sufficere, ad excitandam ingentem planè de Diuinis decretis opinionem: quâ ritè conceptâ, procliuè videbam fore vnicuique voluntatem suam tantæ Mentis, in omnibus quæ eueniunt, exactissimè conformare. Vnde tandem existeret verum gaudium, & lætitia, siue quies mentis, quâ dabitur syncerè frui, medias inter procellas, & turbines huius mundi constitutis. Quod an apud vos consecutus sim, sanè ignoro: illud tamen scio, neque mihi voluntatem rectè cogitationes meas exponendi, neque vobis studium percipiendi, attentionemque defuisse.

Istud operæ pretium futurum arbitror, si non singula quidem retulero, sed artem totam procurandi Gaudij, tantâ renam faragine fortasse implicatam, aut certè non tam clarè expeditam, diluci-

dilucidè quasi per epitomen, vno velut aspectu contemplandam proposuero. Totum orationis filum retexendo, manifestum faciemus artificium; illudque fiet euident, omnia vnico tantum, eoque firmissimo argumento fuisse superstructa. Itaque veritates solas, quarum rationes fusè exposui, meditabundus percurram; & euellam radicitus, vti spero, quas hactenus habui peruersas de rebus opinionones, vnicam ferè perturbationum omnium, quæ me vndique iactarunt, originem & fundamentum.

INTRODVCTIO.

- I. **D**Ate mihi hanc veniam, Auditores, vt mutata paululum dicendi ratione, non tam ad vos, vti fieri assolet, tota dirigatur oratio, quàm ad me ipsum. Sinite me mecum agere res meas, & cogitationibus meis meditabundum interesse. Omnia enim quæ circa me sunt, cum plena tumultibus esse audiam, egredi sanè domo meâ non ausim; ne perturbationibus, quibus totus, quantus est, mundus inuolui dicitur, incautus implicer, & abripiar. Domi itaque meâ me contineo, cogitationes omnes intra me retraho; visurus porrò an quietem, tranquillitatemque, quam solam verum gaudium esse scio, quamque foris inuenire non est vbi perturbantur omnia, intra mentis meæ terminos non detur reperire. Sanè Gaudium vult Seneca, cuique domi suæ nasci. Agite igitur; totamque cogitationum mearum seriem, attentâ vos mente sequimini: Quietem animi in hoc rerum tam perturbatarum labyrintho si reperero, filum habebitis, quo vos ex omnibus rerum vicissitudinibus facillè extricabitis; quietemque animi, ad quam omnes suspirant, quamque consequuntur pauci, tandem dabitur obtinere. Hâc mihi per humanitatem vestram datâ veniâ, ad quietem me compono, & rationes meas mecum sic instituo.

*In animo
quærenda
est quies,
non verò
extra se.*

TRACTATUS I.

2. **N**emo ferè vllus est qui non asserat, imo & conqueratur, orbem vniuersum plenum esse molestiis, difficultatibus plenum. Et quidem inducor facillè, vt id ita esse credam, tam multi cum sint, qui id affirmant viri omni exceptione maiores, & ve-

Tumultibus & molestiis plenus dicitur esse mundus.

rò